



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Cvnradv̄s I. Ex Comit̄bvs Dvnensibvs Abbas Heremi Decimvssex̄tv̄s.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



CUNRADVS I. EX  
COMITIBVS DVNEN-  
SIBVS ABBAS HEREMI  
DECIMVSSEXTVS.



A. D. N.

CL.  
CC. XIV.

A. D. N.

CL.  
CC. XV.

RIDERICVS inde Maguntiaci conuentum habuit, & postea Germania constitutendae animi adiecit. Brabantiam, Mediomatricos, Leodicenses in potestatem redegit, Aquisgranumque rediens pontificis auctoritate, coronam secundo accepit, utque aliquam Deo, & Ecclesiae gratiam referret, voto se ad expeditionem sacram obligauit, Comitatumque Siciliae Fundanum Ecclesiae in perpetuum donauit, anno decimo quarto. Anno proximo, Innocentius quoque pontifex in Laterano Synodum frequentem celebrauit, omnium

pene or-

pene ordinum conuentione. Multæ in ea constitutiones, in quibus de principum, & regum discordia, & discidijs Romano pontifici committendis, & terræ sanctæ recuperatione. Missæ toto orbe Christiano literæ, & idonei homines qui Crucem promulgarent, ad eamque capeffendam, peccatorum remissione propositâ, accederent. Decretæ quoque singulis mensibus generales omnium ordinum supplicationes, viris, & mulieribus seorsim disparatis, Truncus quoque in singulis Ecclesijs in quem pecuniæ subsidiariæ inderentur. Innocentius dein tollendæ inter Cenuenses, & Pisanos diutinæ contentionis Brundusium profectus diem supremū obiit, anno decimo sexto, cuius vita ita probata fuit, vt post mortē, nihil eorum quæ aut laudauit, aut in vitio habuit, immutatū sit. Successit Honorius III. Sub idem tempus in Alfatia, & etiam Turgouia hæresis noua, & pudenda emerfit, adferentium carniū, & aliorum ciborū esum quocumque die, & tempore, tum verò omnem Veneris vsum nullo piaculo contracto licitum, & secundum naturam esse. Sed coniectis in ignem præcipuis auctoribus breui extincta est. Anno decimo de finibus inter Heremitas, & Suitenses supra ducentos annos controuersiam sæpius compositam, mox resuscitatam, & asperius exercitam, non absque vtriusque partis odio singulari, & damno, rursus Comes Raperwillensis Rudolfus, Heinrici, cui ex varijs peregrinationibus Vandelbare cognomentum, Heremitarum tum aduocati, & paullo post Vettingensis monasterij conditoris, frater in hanc sententiam determinauit.

A. D. X.

C I D.  
C C. XVI.

A. D. N.

C I D.  
C C. XVII.

*Complacuit itaque nobis vt a media statione, qua dicitur Altzyla, vsque ad amnem qui dicitur Dosbach directè, & ascensu eiusdem amnis vsque ad eius fontem: & ex parte montis qui dicitur Ouueberg omne latus montis, eiusque cunctam duritiem, de monte de quo Dosbach emanat, similiter & secus communem pascuam qua in fundo sita est ad superiorem partem. Totum, vt diximus, latus cum sua duritia Monasterio, & eius incolis liberâ, ac perpetuâ maneat possessione.*

V 4

Et

Et à media parte stationis nominata, id est, *Altsyla*, secus decursum fluvii *Altsyla* usque contra *Vurizen*; & inde ultra mediam stationem, qua dicitur *Blatten*, trans *Horgrasen* usque *Hospitale*: Inde ultra *Gebrechenberg* usque ad amnem ex inferiori parte medii *Albthal* proximum; Inde directè ultra montem *Schiueruel* omnis vicinitas *Monasterii* propriè *Monasterio* subiaceat. Et ab illo lapide ubi *Stilleuag* effluit in utraque parte montis directè, & inde ad omnia superiora hominibus de *Suuites* liberè, & in perpetuum ut enda permaneant. De prædicta rupe apud *Stilleuag* per *Mittesice*, & per *Geharenstock* usque in mediam *Blatten* è contra *Vurizen* in *Syla* totius utriusque populi habeatur pascua. Et ex propiori litore fluvii, qui dicitur *Minster* respicienti ad *monasterium* de *Stilleuag* usque *Heitigen*, nisi quod prius *monasterio* in præsentì pagina determinatum est, totum similiter ad communem utrorumque pascuam deinceps habeatur, ut in omni communi pascua, nec illis, nec istis liceat aliquam proprietatem per tempora exquirere, seu vendicare. Testes vero hiis interfuere compositionibus ego *Rudolfus Comes*, *Cunradus Abbas*, *Heinricus advocatus*, *Berchtoldus de Schnabelburg*, *Arnoldus de Uarte*, *Rudolfus de Vuedisfoville*, *Heinricus*, & *Ulricus de Bonstetten*, *Rudolfus Villicus de obern Vvintherthurn*, *Uuernherus de Schubelnbach*, *Rudolfus*, & *Ulricus de Vvolrouue*. Et de *Suitz* *Cunradus Hunno*, *Ulricus Kessler*, *Vuernherus Vveibel*, *Heinricus de Ibach* cum multis aliis. Ut autem hac pagina per secula authentica, veritateque subnixà à nullo dubitari permittatur, sigilli mei impressione eam constitui insigniri. Et si aliquis, quod non optamus, eius transgressor umquam extiterit, nisi instanti satisfaciat, præsentì dignâ ultione, & aternâ puniatur maledictione. Actum *xii. Idus Iunij* in loco *Heremitarum*. Anno dominicæ *Incarnationis* *M. CC. xvii.* *Indictione* *v.* *Regnante* *Friderico Romanorum Rege secundo*, anno regni eius quinto: *Pontificatus* primo anno *Honorij* *papa*. Scriptum per manus *Ulrici peccatoris*, Anno quinto *regiminis* *Cunradi Abbatis*. *Feliciter, Amen.*

Anno

Anno decimo octauo, Berchtoldus v. dux Zeringæ, qui Imperialem jurisdictionem utroque in Comitatu Tigurino, & Turgouienſi tenuerat, fortiterque Burgundiam rexerat, obiit iv. Nonas Martias vltimus ſuæ ſtirpis. Cæſar Fridericus & dictos Comitatus, & Tigurum imperio vindicauit, Monasterium inibi, & Eccleſiam, ſiue Præpoſituram in ſuam protectionem ſuſcepit, xviii. Kal. Aprilis cum Briſiaci in Alſatia ageret. Anno nono decimo, compositis utcumque regni negotijs, Decembri iam ingrediente, ſe Cæſar ad expeditionem Italicam accinxit, Romamque, anno ſequenti, peruenit, menſe Nouembri. Vbi, iam ante ab Innocentio confirmatus, in Vaticano ab Hugulino Cardinali Oſtienſi epiſcopo Imperator ii. coronatus eſt x. Kal. Decembris, Honorij pontif. auctoritate, & iuſſu. Multas eodem tempore Eccleſiæ poſſeſſiones contulit, & nouo ſe voto adſtrinxit ad ſacram expeditionem. Cum in Germaniam inde, conſcien- diſ maioribus copijs, anno primo & viceſimo, meditaretur, in Tuſcia, & Longobardia res Imperij conſtitueret, quædam ab Bononiensibus parum Maieſtate ſua digna pertuliſſet, Matthæus quoq; , & Thomas nobiles Comites rebellaſſent, & ſupplicij metu ad Honorium pontif. perſugiſſent, vehementer exarſit, commutatiſque repente moribus, poſthabitaque iuris, & ſacramenti reuerentiâ, ſauire in pontificijs cepit, bona Eccleſiaſtica occupauit, epiſcopos, & antiſtites, qui placerent, alios inſtituit, alios eiecit, & in Italorum ignominiam, & contumeliam Imperialia ornamenta in Germaniam cum Heinrico filio tranſmiſit. Ob eas res frequenter cum Honorius pontif. nequidquam admonuiſſet, quidque promiſiſſet, quidque Imperatorem deceret. Fruſtra ingeminaſſet, communionem priorum priuauit. Ipſe perſequendis hoſtibus attentus, condicto Virceburgi principum concilio, ab ijs Heinricum filium vt Cæſarem deſignarent, qui per ſuam in Italia abſentiam Germaniæ præſideret, impetrauit. Eum duodecimo ætatis anno Engelbertus Coloniæſis archiepiſcopus Aquisgrani coronauit, educandum, & inſtituendum Ludouicus dux Bauariæ ſuſcepit, anno viceſimo ſecundo.

A. D. N.

C D. CC.  
XVIII.

A. D. N.

C D.  
CC. XIX.

A. D. N.

C D.  
CC. XX.

A. D. N.

C D.  
CC. XXI.

A. D. N.

C D.  
CC. XXII.

Biennio

A. D. N.

C10.  
CC. XXIII.

A. D. N.

C10.  
CC. XXIV.

A. D. N.

C10.  
CC. XXV.

A. D. N.

C10. CC.  
XXVI.

A. D. N.

C10. CC.  
XXVII.

Biennio interiecto, Ioannes Hierosolymorum rex auxilia exciturus Romam venit, & ab Honorio magnificè acceptus Fridericum eidē reconciliauit, cum omnia restitutum occupata, crucemque resumtutum pollicitus esset. Sed vt firmioribus inniteretur opibus ipsi Friderico vnicam filiam Iolen in matrimonium dedit, dotisque nomine Hierosolymorum regnum, cuius titulo postea omnes Siciliae reges vsi sunt. Anno vicesimo quinto, Cæsar Henricus comitia frequentia Francofurti circiter Idus Mai celebravit. Ibidē patris ex Italia legati paullo post eum in Germaniā rediturum, & pro Syriae recuperatione alium conuentū acturum nunciarunt. Conradus Cardinalis Portuensis episcopus crebras per Germaniam, eadem super recuperatione, orationes, & congregationes habuit. Qui proximè secutus est annus graui, & irreparabili clade Heremitas adfecit. Basilicā, extra ædem DEIPARÆ Matris, quam suā manifestā præsentia, ex tanto igne, tutam præstitit, & inoffensam, monasterioque, & omnibus ædificijs per sæuum, & insolitum incendium euersis, & in cineres cum vniuersa sacra, profanaque supellectile redactis III. Nonas Mai. Eoque infortunio desiderata multa pontificum, & Imperatorum, & regum priuilegia, & diplomata, præcipuè Friderici I. Ahenobarbi, & sequentium Cæsarum. Cunradus abbas insigni in aduersis magnanimitate, & in amissis reparandis prudentiā, subito ad nouam fabricam animum aduertit, suisque partim, tum amicorum, & fautorum opibus, breui in pristinum splendore basilicam, & cætera restituit. Primo quidem Sacellum supra ædem D. D. Iohannis Baptistæ, & Euangelistæ condidit, illudque, hoc eodem anno, in honorem DEIPARÆ Matris, D. Michaelis, & omnium cælestium virtutum Cunradus Constant. episcopus consecrauit. In illud reliquias collocavit S. Andreae Apostoli, S. Mauritij, MEGINRADI, Iusti, Georgij, Vrsi martyrum: Episcoporum Ambrosij, Nicolai, Zenonis, Benedicti abbatis. Afræ, Agathæ, & Margaritæ virginum, & martyrum. Anno vicesimo septimo, condere cepit Henricus Comes Rapersvillensis Heremi advocatus cum Anna

Homber-

Hombergensi coniuge monasterium Cisterciensis ordinis Vettingæ ad Lindemagum, empto solo ex Hartmanno Dilingæ Comite. Id monasterium vocatum ab eo Maris stella, ex memoria variarum in Orientem sacris bellis, quibus interfuit, expeditionum. Eodem anno obiit Honorius cum paullò antè D. D. Francisci, & Dominici instituta, & regulas adprobauisset. Successit Gregorius IX. verus Ecclesiæ Christi pastor, & parens, etsi multis eum modis criminatur Conradus abbas Ursbergensis, nisi eius exemplaria peruersè Nouatores corruerunt. Multa ab eo constituta. Fridericum verò primo quoque tempore se ad totiens promissam sacrâ militiam accingeret, admonuit, qui cum primo ad sensus esset, & incunte vere, Brundisium, quo Cruce signati conuenirent, nominasset, postea tergiuersaretur, denique ægritudinem, contra omnium notitiam, maximo principum, & crucigerorum, qui aderant, damno, & strage simularet, eundem excommunicauit, absolutionis beneficiû tamen, quamprimum soluisset, pollicitus. Igitur tandem multis amicorum, & Heinrici quoque filij precibus victus Fridericus, in Syriam, anno sequenti, transmisit, & mense Augusto, Ptolemaidem appulit. Soldano AEgyptio de pace nuncios misit. Riualdus interea, quem Siciliae præfecerat, terras Ecclesiæ inuasit, vrbes, & castella occupauit. Contra eum Ioannem regem Hierosolymorum, cui Hexarchatum Italiae donauerat, aliosque misit Gregorius, & bellum gerere iussit. Quæ ubi ad Fridericum relata sunt, cum Soldano pacem, & inducias in decennium percussit, anno vicefimo nono, ab eo Hierosolyma, & adiunctum agrum, Ioppen, & nonnulla alia castella recepit, seque regem Hierosolymorum, ferijs pascalibus, coronari curauit. Hinc in Apuliam accelerauit, accitisque nouis ex Germania auxilijs, sua non solum recepit, sed pleraque Ecclesiæ subiugauit. Magnum tamen Militiæ Theutonicorum Magistrum, & Messanæ episcopum, aliosque præcipuæ dignitatis viros ad Gregorium pro reconciliatione dimisit, qui, accedente multorum aliorum principum virorum interuentu, vtrumque, & pontificem,

& Impe-

A. D. N.  
CIX. CC.  
XXVIII.

A. D. N.  
CIX. CC.  
XXIX.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXX.

& Imperatorem reconciliarunt, reparatis, quæ hic Ecclesiæ intulerat, damnis, anno tricesimo eiusdem seculi. Inde in Germaniam redijt, & contra Heinricum Bauariæ ducē bellum habuit. Sub idem tempus dedicauit Conradus Constant. episcopus nouam ab Cunrado abbate structam basilicam. Habeo auctores qui alterum sub hoc eodem abbate exortum incendium tradiderunt, non tamen ita funestum. Vtriusque ipsum damna, magnâ curâ, & impensâ reparasse.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXI.

Anno sequenti, cum Annam vxorem, & quam ex ea susceperat matri cognominem filiam Henricus comes Raperuillensis amisisset, mœrore, & tædio in monasterium Vertingæ, quod, vt diximus, condiderat, se abdidit, regulamque professus, vitam illic priuatam, & piam egit, neque abbatis munus vumquam, licet maximopere, qui aderant fratres, id precarentur, suscipere voluit. Heremitarum aduocatio, quam hæctenus gesserat, ab eo ad Rudolfum fratrem translata.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXII.

Fridericus, mense Nouembri, in Italiam redijt. Rauenæ hiberna habuit. Anno tricesimo secundo, viii. Idus Septembris obiit Conradus II. Constant. episcopus. Post eum electus Henricus de pinu dapifer de Valdburg. Anno tricesimo tertio Cunradus abbas valetudine adfectâ, simul quia prope oculorum vsum per ætatem amiserat, dignitatem resignauit, & anno sequenti, III. Idus Mal. Gangolfi martyris apud Heremitas cultu, & veneratione sollenni, extinctus est, sepultusque ante altare d. Catharinæ virginis, & martyris, quod condiderat. Claram sui memoriã reliquit, restitutis, ingenti labore, & sumtu, duobus incendijs, basilicâ, & monasterio. Malè verò hæctenus id quibusdam è nostratibus obseruatum qui Comitem Kiburgensem, & Dunensem vocârunt, & pro Dunensium insignibus, Kiburgensium insignia adposuerunt, cum certum sit primum Kiburgenses Burgdorffum, & reliqua in Auenticis, post Berchtoldum V. & vltimum Zeringiæ ducem, hereditario iure per matrimonium accepisse, Dunensem verò Comitatum multò post, extinctâ Comitum stirpe, ad

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXIII.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXIII.

eos Im-



eos Imperiali beneficio peruenisse. Habuit abbas Cunradus fratres plures quorum, eo adhuc tempore, Henricus episcopus erat Basiliensis. Rudolfus verò archiepiscopum Salisburgensem agebat. Creatus in eius locū abbas Anshelmus ex Baronibus à Schuande Glaronensis regionis. Eodem tempore, interfectus vico Ruano Berchtoldus ex Comitibus S. Montis Episcopus Curiensis. Petitus, qui in Episcopatu Curiensi succederet, ex Heremo Vldaricus ex Comitibus Kiburgi, Vlrici Turgouix inferioris, & Lentzburgi, Badæque Comitum filius, Hartmanni, & Verneri Comitum frater. Præfuit episcopati cum laude annos quattuor.



X ANS-